



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Catechesis Pverilis

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1543

VD16 M 2628

Quae est comminatio addita huic praecepto?

urn:nbn:de:hbz:466:1-33561

Quæ est comminatio ad-
dita huic præcepto ?

Expressa comminatio est, scilicet, qui uane
usurpauerit nomen **D**eï, hunc non habebit
Deus in fontem. Propter hoc dictum, **D**eus
conseruat in hoc mundo pœnam periurij. Estq;
hec uox testimonium, quod **D**eus periuros pu-
niat multis magnis calamitatibus, etiam cum ma-
gistratus non punient eos. Ideo omnes historiae
plena sunt exemplorum, quæ testantur tristes
exitus fuisse illorum qui iusiurandum aut fœde-
ra uiolauerunt. Et sunt infinitæ sententiæ scri-
ptorum de pœna periurij, ut apud **T**ibullum,

Ah miser & si quis primo periuria celat,
Sera tamen tacitis pœna uenit pedibus.

Huiusmodi sententiæ sunt acceptæ à patribus
& comprobatae experientia. Denique sunt uox
decalogi. Cum igitur huic secundo præcepto an-
nexa sit comminatio, sciamus semper in iura-
mento contineri duas res. Altera est quod **D**eus
citatur testis. Altera est, quod iurans impreca-
tur sibi pœnam. Ideoq; inuocat **D**eum, ut puniat
fallentem. Hæc enim est sententia cuiuslibet iu-
risiurandi, Inuoco **D**eum ac peto, ut si fallo, ue-
rè me puniat, & hac ipsa forma olim concipie-
bantur

bantur ἐπαγαί in fœderibus. **E**st igitur duplex peccatum in periurio, scilicet, quòd **D**eī gloria leditur, cum citatur tanquam falsus testis, & quòd periurus contemnit **D**eum, nec putat fore ultorem. **H**anc horrendam impietatem sciamus non fore impunitam, & iuraturi toto pectore metuamus illam imprecationem, et sciamus haud dubie ratam fore, propter hoc testimonium secundi præcepti. **Q**uare magna religione seruentur iuramenta. **P**ræterea sciendum est **D**eum hinc minari pœnas, non solum periuris, sed etiam blasphemis, sicut exempla testantur publicas blasphemias, ut **R**absacis & similium manifestis pœnis statim punitas esse. **S**ic & **C**herintum balneæ oppresserunt, cum ibi contumeliosos sermones diceret in **C**hristum. **V**t autem comminatio proposita est blasphemis & periuris, ita e contra intelligatur promissio proposita ijs qui ornant gloriam **D**eī, sicut in libro **R**egum dicitur, **G**lorificantes me glorificabo. **Q**uare **D**eus haud dubie iuuat pios, qui blasphemias prohibent, qui pios cultus defendunt, & tollunt impios cultus. **I**tem qui periuria puniunt, **I**tem qui reuerenter seruant iusiurandum. **Q**uare & **H**esiodus dixit, ἀνδρὸς δὲ εὐόρκου γυνεὴ μετόπισεν ἀμείνωρ.
Debent